

ARGVMENTVM.

PAVLINVM presbyterum, a quo per litteras saluatus fuerat, et de uite sanctioris proposito a se arripiedo, Eusebij etiam addito testimonio, certior redditus, ethnicorum, ecclesiasticorumq; sapientum exemplo, ad sacram litterarum, se interea adiutor em ea in re pollicens, hortatur cognitionem. Quod ut facilius persuadeat, quae, et quanta sacris in Biblijs diuinarum rerum contineantur mysteria, generatim per singulos id explicans libros, illi ante oculos ponit. Propositum melioris uite laudat, & epistolae ad se misse prudentiam, styliq; eloquentiam commendat. Verum, quod in rebus familiaribus disponendis, & in distrabendis etiam pro Christo possessionibus amplius immorari constituerit, veluti periculosam reprehendit recrastinationem: propterea ut fluctuantis in salo nauicula praedat magis finem, quam soluat, relictisq; omnibus illico ad Christum nudus exolet, uehementer hortatur.

HIERONYMVVS PAVLINO

EPISTOLA CIII.



RATER Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit & suauissimas litteras: * quae a principio amicitiarum, fide probatae iam fidei & ueteris amicitiae praeferebant. Vera enim illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non praesentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in ueteribus historijs, quosdam lustrasse prouincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos, quos ex libris nouerant, coram quoque uideret. * sic Pythagoras Memphiticis uates, * sic Plato Aegyptum, & Architam Tarentinum, * eamq; oram Italiae, quae quondam magna Graecia dicebatur, laboriosissime peragrauit; ut, qui Athenis magister erat, & potens, cuiusq; doctrinam Academiae gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena uerecunde discere, quam sua impudenter ingerere: denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, * captus a piratis, atque uenundatus, etiam tyranno crudelissimo paruic, captiuus, uinctus, & seruus. tamen, quia philosophus, maior emente se fuit. * Ad T. Liuium, lacteo eloquentiae fonte manantem, de ultimis Hispaniae, Galliarumq; finibus quosdam uenisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis, celebrandumq; miraculum, ut, tantam urbem ingressi, aliud extra urbem quaerent. * Apollonius, siue ille magus, ut uulgus loquitur, siue philosophus, ut Pythagorici tradunt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum; Albanos; Scythas; Massagetas, opulentissima Indiae regna penetrauit; & ad extremum, latissimo * Phison amne transmisso, * peruenit ad Brachmanas: * ut Hierarcham, in throno sedentem aureo, & de Tantalii fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum ac dierum cursu audiret docentem: inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos, reuersus Alexandriam, perrexit Aethiopiam; * ut gymnasium sophistas, * & famosissimam solis mensam uideret in sabulo. Inuenit ille uir ubique, quod disceret; & semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo uoluminibus Philostratus. Quid loquar de saeculi hominibus? cum apostolus Paulus, uas electionis; & magister gentium; qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur: An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? post Damascum Arabiamq; lustratam, ascendit Hierosolimam, ut uideret Petrum, & manserit apud eum diebus quindecim. Hoc enim mysterio hebdomadis & octogodas, futurus gentium praedicator, instruendus erat. Rursusq; post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito, exposuerit apostolis euangelium; ne forte in uacuum curreret, aut cucurrisset. * Habet enim nescio quid latentis energeia uita uox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat. * Vnde & Aeschynes, cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam aduersus eum haberat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans ait: Quid, si ipsam audisset bestiam, sua uerba resonantem? Nec hoc dico, quod sit in me aliquid tale, quod uel possis, uel uelis discere; sed quod ardor tuus, ac discendi studium, etiam absque nobis per se probari debeat.

Act. 9
1. Tim. 2
2. Cor. 13
Gal. 2. 20
1. Cor. 13
2. Tim. 2